

POSITIONES

# PERIPATETICAE

*Ex*

TRIBVS PARTIBVS  
PHILOSOPHIAE

*Quas*



IN ALMA ET ELECTORALI VNI-  
VERSITATE INGOLSTADIENSI

*PROPOSVERVNT*

DVO E SOCIETATE IESV  
METAPHYSICÆ STUDIO SI.

*ANNO CHRISTIANO CID. 170. XXX.*  
*3. Iulij.*



INGOLSTADII,

*Ex Typographeo GREGORII HAENLINI.*




**TRIADI INCREATÆ**  
**TRIETERIDIS PHILOSOPHICÆ LABORES**  
 PER MANVS ET PALMAS<sup>5</sup>  
 TRIADIS CREATÆ, T ER BEATAE.  
**BBB. Pauli Michi, Jacobi Ghisai, Ioannis de Goto.**

*Clementes Infimi*

*D. D.*

**LOGICA.**

T H E S I S V I .

**L**Ogica est habitus & virtus intellectualis ; Practicè & Artisticè versans circa operationes intellectus ut dirigendas ex regulis. Obiectum Attributionis adæquatum sunt omnes tres operatiæ intellectus. Logica ad actus aliarum scientiarum sicut moraliter tantum necessaria est, ita ad earundem actus directiæ tantum non effectiæ concurrit. Logica vtrors & Docens re idem habitus ratione tantum inter se distinguntur.

**I.** Ea est secunditas Intellectus ut abstrahere & vnum sine altero considerare sine falsitate aut inter rationis possit, adeoque facere Vniuersale, cuius Materialis seu Fundamentalis ratio consistit in indivisione quadam & vnitate individuorum inter se secundum prædicata scientia; Formaliter autem vnitate & aptitudine inessendi pluribus quæ solum reperitur in statu Præcisionis, non autem Abstinentia Existentiæ realis; sit formaliter per abstractionem Intellectus Possibilis absolutam, cognatur per comparatiuam, multiplicatis intellectibus abstrahentibus, non multiplicatur vniuersale; nimirum ut quid absolutum & secunda Intentio in concreto est. In actuall prædicatione amittit suam vniuersalitatem.

**II.** Vniuersale exigit habere plura inferiora, de quibus ut totum Potentiale prædicatur. Quinque statuantur Vniuersalia quæ sub vna quadam ratione superiori analoga conueniunt, prædicantur vel in Quid ut Genus & species, vel in Quale (quæ abstractione vniuersali & formaliter abstrahi debent) ut sunt Differentia Proprium & Accidens. Generis immediatum, non autem adæquatum correlatiuum est species, cuius essentia a dæquata consistit in Prædicabilitate & subiçibilitate. Differentia superior non inuoluit formaliter inferiorem, sicut nec inferior superiori. Non omne accidente cum subiecto non reciprocabile, ad ultimum prædicabilium est remittendum.

**IV.** Substantia in Concreto tantum, Accidens in Abstracto commodius in Prædicamento ponitur. Sub summo genere substantie vnioco per se continentur tam substantia materiales & corruptibles quam spirituales & incorruptibles, finitæ tamen saltem quoad essentiam. Diuisio in 1. & 2. est analogiæ in analogata. Quantitatis Prædicamentum constituit quantitas continua & permanens sub quo non comprehenditur Tempus, Oratio, Numerus &c. Qualitatis quatuor species amplectimur intellectu vel essentialiter vel accidentaliter distinctas.

**V.** Relatio Prædicamentalis quæ essentialiter terminu sub ratione absoluti respicit, & pro cuius multiplicatione multiplicatur Relatio. Est quid Modaliter distinctum à suo fundamento. Relationes sicut & omnes modi reliqui non possunt habere rationem fundamenti, respectu alterius relationis, sicut tamen possunt substantiae & reliqua Prædicamenta strictè realia. Dantur relationes Transcendentales quæ sint ipse rerum differentiae.

Univ. Bibl.  
München

VI. Respo

## POSITIONES PERIPATETICÆ.

VI. Respectus signi ad significatum & potentiam cognoscentem vniuersaliter & adæquatè loquendo est denominatio extrinseca, vel si malis relatio rationis, quamvis interdum, etiam adæquatè spectatus possit esse relatio realis. Signum vocale significat & res & conceptus. Enunciatio constitutur ex signis; formaliter consistit in annetu & abnitu. In omni Enunciatione reperitur aliquid verbum tenens se ex parte prædicati ut Quod saltem inadæquatè. Verbum substantium impositum est ad significandam entitatem, vel essentiam exercitam à subiecto, sicut etiam existentiam maximè in 2. adiacente. In propositionibus necessarijs, significat cum tempore. Altera propositio de futuris contingentibus est determinatè vera, altera determinatè falsa.

VII. Syllogismus Probatius, qui solus in definitione syllogismi comprehenditur, est argumentatio de cuius essentia est conclusio, sequens debiliorem partem, ad quam positis præmissis intellectus necessitatibus, non quoad exercitium sed speciem actus. Dantur syllogismi Indirecti, non solum in 1. sed & 2. & 3. figura.

IX. Tres sunt operationes intellectus, Apprehensio, Iudicium & Discursus, in Prima operatione datur veritas non tamen falsitas etiam ex parte obiecti complexi & compositi, cuius compositio non excedit apprehensionem, sicut excedit compositio actus etiam virtualis. Datur Veritas & Falsitas in Secunda mentis operatione qua formaliter consistit in assertione seu coniunctione prædicati cum subiecto. Tertia mentis operatio formaliter dicit Illationem seu particulam Ergo.

IX. Demonstrationis Quia & Propter quid essentialiter differunt, potissimum Demonstrationis medium est definitio, effectus vero scientia, cuius obiectum necessarium sit oportet necessitate obiecti in complexi. Vinita scientia desumitur ab uno genere obiecti, ab uno genere principiorum causatorum ab uno genere abstractionis. Scientia totalis non est vna simplex qualitas; in uno Habitu totali possunt dari plures habitus partiales. Scientia subalternans & subalternata essentialiter inter se non distinguuntur, sed tantum accidentaliter.

## P H Y S I C A.

X. Physiologia, est scientia speculans corpus naturale qua tale, sumptum in suppositione Absoluta non simplici, tam respectu octo quam omnium librorum Physicorum. Definitio Principiorum Physicorum (qua neque ex se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia sunt) conuenit omnibus principijs non collectiū sed copulatiū sumptis, tria sunt in Fieri Materia scilicet Forma & Præcipuum, quorū duo postrema sunt prima contraria, in Facto esse duo tantum sunt, materia scilicet & forma, habent omnina rationem principiandi analogam.

XI. Materia prima basis & fundamentum transmutationis substancialis naturalis, est pura potentia Phisica non tamen Metaphysica, habet propriam existentiam, incommunicatam à forma substanciali, quam solam essentialiter respicit, ut actum se completem; non autem formam accidentalem: appetitus materiae seu potentia naturalis, qua nihil realiter distinctum dicit à materia, ad omnes formas materiales etiam corruptas se extendit. Quamvis sine formis substancialibus quoad existentiam intelligi materia non possit sine illis tamen existere potest absque concurso Dei speciali: Materia est subiectum immediatum formarum substancialium, & aliquorum accidentium, quorū multa in sola quantitate recipiuntur, sicut Quantitas in sola materia, cuius solius naturalis proprietas est.

XII. A duabus formis specie diuersis & non subordinatis, vnam materiam per absolutam Dei potentiam propriè informari posse probabile est, quod si fieret, nec vnu, nec duo composita simpliciter essent dicenda. Forma Phisica non est tota quidditas compositi, in quo non datur forma aliqua Corporeitatis distincta à specifica forma secundum rem; non sunt tota formæ physicae, quot gradus Metaphysici; potest ex quauis materia, quauis forma materialis educi, quarum nulla entitatiue in materia præexistit. Præcipuum alia est remota, alia proxima, est Principium physicum essentialiter, si ab utraq; abstractat, naturaliter, si proximam dicat, principiat extrinsecè definendo, eiusdem numero formæ possunt esse plures numero priuationes.

## P O S I T I O N E S

**XIII.** In Composito præter materiam & formam admittendus est modus substancialis Unionis, à quibus tribus simul sumptis compositum realiter non distinguitur, cuius etiam adæquatè spectati creationem possibilem iudicamus. Natura est principium motus & quietis, eius in quo est primò & per se, sufficit ad naturæ conceptum, vt sit vel principium Actuum vel Passuum, hinc tam materiae quam formæ, sive animati sive inanimati, conuenit non tamen vniuocè.

**XIV.** Causa est principium per se influens esse in aliud, constituitur intrinsecè in actu primo persuam̄ entitatem potentem actu completi, non autem per causalitatem, ad quam tamen dicit essentialē respectum, non verò ad conditiones sine quibus non. Quatuor sunt genera causarum quorum, omnia sunt priora suo effectu saltem naturā; causæ non possunt sibi inuicem esse causæ secundūm eandem entitatem & existentiam, possunt tamen esse secundūm causalitatem. Plures causæ totales (exceptis Finalibus) ad eundem effectum coniunctim nec per absolutam Dei potentiam, nec diuisim naturaliter loquendo concurrere possunt.

**XV.** Causalitas causæ Materialis & Formalis respectu compositi est vno vnicā sustentata, & ex troquè extremorum educta, causæ autē materialis respectu formæ, est sustentatio seu Passio, realiter & à materia & ab Actione distincta. Causa materialis non est de essentia substantia creatæ etiam materialis. Exemplare causam tam ad formalem quam efficientem diuerso respectu reuocamus.

**XVI.** Causa Principalis Efficiens per virtutem proportionatam, Instrumentalis autem per in proportionatam eleuatam tamen simul concurrunt ad effectum substancialē producendum, quem si nè influxu immediato cause Principalis, accidentia eleuata totaliter producunt. Causam principalem in absentia alicuius determinatae, subit indiuiduum ex parte obiecti indeterminatum, non autem, propriè Vagum. Eādem numero actione Deus concurrit cum causa secunda ad effectum ponendum quem sibimet natura in specie & indiuiduo determinat.


**XVII.** Causalitas causæ efficientis est Actio modaliter à termini subiecto in quo sustentatur distincta, sumit suam specificationem à termino Ad quem formaliter sumpto, non autem, à solo principio agendi. Ab actione & passione simul sumpta non distinguitur motus Aristotelicus qui definitum Actus entis in potentia prout in potentia, comprehenditque sub se tam successiuum quam instantaneum. Datur motus ad substantiam & accidentem, & plerosque modos, saltem motus resultantiarum, qui est actio propriè dicta realiter etiam à termino distincta.

**XVIII.** Causa Finalis est vera causa physica, causalitas eius est actualis tractio seu inclinatio intentionis & amoris efficacis: principium proximum finis est bonitas rei relatae accepta. Sola agentia naturalia intellectuā agunt formaliter propter finem, sicut & in genere causa Exemplaris, quæ est forma aliqua & Idea, quam aliud imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.

**XIX.** Infinitum tam Categorematicum quam syncategorematicum, est cuius semper aliquid extra accipere, differunt inter se non secundum pluralitatem partium, sed tantum secundum actualitatem & potentialitem. Infinitum Categorematicum vt detur actu, per nullam potentiam fieri potest. Præter locum Extrinsecum, cuius immobilitas desumitur à spatio imaginario, concedens videtur locus Intrinsecus, seu entitas modalis intrinsecè locans & vbicans, essentialiter dependet à spatio imaginario. Tot in quo quis corpore admittenda sunt vbi, quot sunt entia realiter strictè distincta.

**XX.** Unus locus & duo locata, vel duo loca & unum locatum virtute naturali simul esse nequeunt, possunt tamen esse supernaturaliter. Si posterius fiat non eadem utrobique accidentia conuenient. Potentia agendi in duobus locis intrinsecè non augetur, in uno loco vivere & in altero mori non potest homo v. g. replicatus. In vacuo priuatius; si à Deo daretur, motus progressiuus animalium non datur, sicut nec motus grauius & leuius, quin tamen aliqui motus, etiam locales fieri possint, non videtur negandum, qui tamen instantanei non forent.

**XXI.** Motus cælorum secundum prius & posterius numerabilis, tempus extrinsecum naturaliter suu de facto, non essentialiter constituit, quo res omnes corruptibles & materiales tam permanentes quam succed-



## P E R I P A T E T I C A .

uit mensurantur, quoad intrinsecam suam durationem, realiter modaliter ab ipsis distinctam. Tempus irreproducibile existit fluendo non permanendo, incipit extrinsecè sicut omnia entia successiva ab-solutè non relata spectata.

XXII. *Essentia Quantitatis* consistit in aptitudinali extensione in ordine ad locum, non in ordine ad se, quæ conuenit cuius enti purè materiali. *Quantitas* realiter strictè distincta, nec partes actu nec indiuisibilia siue terminantia siue copulantia, siue finita siue infinita positiva habet formaliter, sed tantum fundamentaliter & materialiter. *Quantitates discontinuae* nouo indiuisibili unitu copulantur.

XXIII. Mundus verno tempore cum tota essentiali perfectione productus post diem iudicij accidentaliter tantum immutabitur. Cælum corpus simplex constat materiam, eiusdem cum sublunari rationis & forma naturaliter incorruptibili. Motus cælo naturalis est, fitque effectuè, ab assistente Intelligentia Planetæ non mouentur duobus motibus simul, sicut nec ullum aliud corpus naturale. Cæli influunt in hæc inferiora præter lucem & calorem per occultas quasdam qualitates, quas influétias vocamus, quæ tamen omnes directè, in hominis voluntatem agere non possunt.

XXIV. Elementa duplices habent qualitates motrices & alteratrices, ex quibus posterioribus una in summo altera in remissio gradu conuenit cuius elemento, sine admixtione tamen contrarij. Qualitates alteratrices eiusdem quoque rationis sunt, si nomine conueniant. Elementa intermediantibus istis qualitatibus transmutantur substancialiter, & quodvis in alterum cōverti potest, etiam immediate.

XXV. Quatuor qualitates motrices essentialiter pro specifica ratione elementi distinctæ, nihil habent admixtū contrarie qualitatibus; his mediantibus elementa mouentur ad locum naturalem, in quo nec grauitant nec levitant. Grauia in fine volocius mouentur propter concursum medij, causa præcipua projectorum est vis quedam impulsus dicta, projectis impressa, quæ sicut à solo Deo conferuatur, ita & corruptitur. Grauia super minus grauia, si utraque maneat immota, grauitant quidem per nullam tamen actionem.

XXVI. Generatio substancialis consistit formaliter in actione unitu distincta realiter ab actione eductiva, terminus illius Formalis, est unio, Totalis, compositum. Corruptione est posterior generatione, in qua non fit resolutio usque ad materiam primam, quo ad omnes formas siue substanciales siue accidentales naturaliter. Forma generata incipit intrinsecè, corrupta definit extrinsecè. Potest quævis forma substancialis etiam indiuisibilis, absolute extrinsecè incipere & definere.

XXVII. Mixta perfecta constant forma ab elementaribus formis distincta, quæ actu non manent in mixtis, manent tamen virtualiter. *Essentia mixtionis* consistit formaliter in unitione materiarum inter se & cum forma mixti; distinguitur essentialiter à generatione: Temperamentum mixtorum consistit in quatuor qualitatibus vel æqualiter inter se contemporatis vel eo gradu quo natura mixti exigit. Datur Actio & reactio inter duo contraria, secundum eandem partem & contrarietatem, tempore eodem.

XXVIII. *Actio intensiva* nunquam terminatur ad substantiam. In qualitatibus fit per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti, qui omnes sunt homogenei & eiusdem rationis. Non potest intensio procedere à simili vel minus intenso. Intensio Antiperistatica plerumque fit ac extrinseco: reflexa autem non ab obstatulo aut qualitate minus intensa, sed ab ipso agente principali, vt & motus reflexus projectorum, à projiciente; mobile in puncto reflexionis non necessario quiescit.

XXIX. *Creatio* siue *productio* rei ex nihilo, quæ est entitas modalis accidentalis prior suo termino, sicut soli Deo conuenit, ita creaturæ ut creaturæ repugnat, omnes substantiae & accidentia absoluta creari possunt, sicut & aliquot modi. *Conseruatio* quæ est continuata rei productio, interdum tam primæ quam secundæ cause, conuenit, interdum tantum primæ, ut in substantijs tam materialibus quam spiritualibus. Sola Dei conseruatio ordinaria, non facit res incorruptibiles & inpatibiles.

XX X. Creatura non potest agere indistans etiam intra suæ actiuitatis sphærā, posset tamen Deus etiā omnipræsens non esset. Naturaliter nil potest reproducī, potest tamen supernaturaliter, diuersa vel



## P O S I T I O N E S

etiam eadem actione quā fuit primō aliquid productū. Replicatio consistit formaliter in positione vnius rei in pluribus locis, sive sola acquisitione plurium vbi, quæ in eodem loco simul supernaturaliter etiam haberi non possunt. Penetratio à Deo possibilis fit per ablationem alicuius modi quantitatui impenetrabilitatis dicti.

**XXXI.** Meteora sunt quadruplicia Ignea, Aerea, Aquea, Terrea, quorum omnium materia remota, sunt ipsa elementa, accidentaliter tantum ab ipsis distincta, proxima vero exhalatio & vapor, posterior ab aqua prior à terra non nisi accidentaliter discrepat, Meteororum causæ principales efficientes, sunt causæ vniuersales, instrumentales autem præter calorem & lucem, etiam occultæ quædam qualitates. Venti sunt ordinariè exhalationes à nubibus repercutæ. Salsugo maris prouenit ex terrenis exhalationibus adustis humido que permixtis. Flumina potissimum oriuntur mari.

**XXXII.** Anima est actus corporis naturalis potentia vitam habentis, quatuor animatorum, tria animalium sunt genera, ex quibus viuens quodvis vnam tantum formaliter tamen imperfectiores involuentem continent. Animæ perfectorum etiam animalium præter hominis sunt diuisibiles & partes earundem, sicut & vno homogeneæ sive eiusdem rationis sunt, omnes eiusdem speciei animæ, sunt æqualis in individuo perfectionis.

**XXXIII.** Potentiarum ab anima realiter distinctarum, causa efficiens sola anima est, causa subiectiva materialium tamen est vel solum corpus vel corpus & anima simul; quod problema sit. Potentiarum Actuarum specificatio desumitur immediate ab actibus adæquatis, remotè autem ab obiectis. Actus vitalis à Deo formaliter creari non potest, ad quem requiritur immediatus influxus animæ & effectius & passiuus, saltem respectu aliquorum actuum maximè spiritualium.

**XXXIV.** Animæ vegetatiuæ tres sunt potentiae principales. Nutritiua Augmentatiua & Generatiua, essentialiter diuersæ. Nutritiua in specie diuersis animalibus specie diuersa tres ministeriales habet. Attractiuam Retentiuam Expulsiuam inter se ratione tantum, à nutritiua realiter distinctas. Alimentum esse nequit Elementum purum, sed solus sanguis, in animalibus sanguineis.

**XXXV.** Nutritio essentialiter consistit in vnitione materiæ alimenti cum materia & forma aliis; natura prior est vnitio materiarum, quæ eductio & vnitio formæ partialis vel totalis, per se est instantanea, per accidens autem continua & successiua. Augmentatio tendit in vniōne quantitatis alimenti cum quantitate aliti. Inanimatis certus quoad paruitatem, non autem quoad magnitudinē, nisi spatio ordine vniuersi terminus debetur, vt erique tamen animatis conuenit. Rarefactio est actio non productiua Quantitatis sed Qualitatis, sc: Raritatis. Generatio Viuentium est Processio viuentis à principio vita commixto, in similitudinem naturæ, saltem genericam. Semen viuentium non vivit, vt neque dentes, vngues, cornua, rostra, summa cutis, penna auium & sanguis, vivunt tamen cerebrum & ossa &c. Actio Generatiua non est propriè vitalis.

**XXXVI.** Species sensibiles necessariò admittendæ, sunt accidentia intentionalia, materialia tamen, imagines obiectorum suorum non tantum virtuales sed etiam formales, & cognoscibiles non solum vt Quo, verum etiam vt Quod, diuisibiles tam ratione subiecti & intentionis, quam obiecti, indiuisibiles in representando, omnes in eadem parte aeris compossibilis, sunt naturæ ignobilioris quam sint ipsa obiecta. Causa productiua & Conseruatua specierum sensibilium imprestarum, vna cum speciebus interdum; est obiectum, quo euanescente in instanti etiam species euanscent, quæ per se in instanti productæ ad sensationem non effectiæ, sed tantum determinatiæ concurrunt. Sensatio non est tantum passio, sed etiam vera actio, procedit proximè tam ab anima quam potentia sensitiva.

**XXXVII.** Præter sensitilia propria dantur etiam communia quæ non per distinctam speciem, sed per propriam obiecti proprij cognoscuntur. Sensibile proprium à sensu externo per nullam potentiam attingi potest sine sensibili communi, vt nec commune sine proprio. Potentia sensitiva sicut non est reflexua suorum actuum, ita nec cognoscitua rerum spiritualium etiam per absolutam Dei potentiam, externa autem nec rerum absentium & indiuisibiliter existentium naturaliter loquendo. Errant sensus tam circa sensitilia propria quam communia.

**XXXIX. Quin-**

**XXXIX.** Quinque de facto dantur sensus Externi Vissus Auditus Odoratus Gustus Tactus, in specie diuersis animalibus eiusdem rationis. Obiectum visus est color, qui non oritur ex primarum quatuor qualitatum temperie, sed ex varia opaci & perspicui permixtione cum lucido, colores aliqui intermedij videntur esse specie distincti ab extremis. color ad hui sensationem eliciendam, tam ex parte obiecti, quam medijs & organi lucem requirit, non item lux sive lumen quod est qualitas quædam realis & non tantum intentionalis, educta ex potentia obiecti per se in instanti per accidens autem successivè.

**XXXIX.** Visio, quæ sit quasi per pyramidem radiosam, non per emissionem radiorum, sed per receptionem specierum ab obiecto productarum efficitur. Sedes vissionis est humor crystallinus. Auditionis tympanum seu pellicula intrata super pelvum ossam; huius obiectum adæquatum est sonus, cuius subiectum est corpus interceptum & elisum, aer scilicet vel aqua & his similia, producitur effectus ab accidentibus liquiditate causantibus non autem motu locali proximè loquendo.


**XL.** Obiectum adæquatum odoratus est odor, qui est qualitas secunda, orta ex apta contemporeatione humidi cum fisco, diffunditur per medium non semper realiter sed intentionaliter, residet in carunculis mammillaribus non autem cerebro. Gustus à tactu realiter distincti obiectum adæquatum est sapor, qualitas secunda, residet potissimum in lingua extremitate & palato. Tactus, qui est vnicus tantum pro obiecto adæquo habet primas qualitates, sensorium ipsius sunt præcipue nerui per corpus diffusi.

**XLI.** Præter sensus externos admittendi sint sensus interni, inter se non realiter sed tantum formaliter distincti, vt sunt sensus communis, potentia imaginativa seu Phantasia, Memoria & reminiscencia, Cogitativa seu Æstimativa, quæ non elicit species insensatas. Obiecta sensuum Internorum sunt obiecta sensuum exterorum & eorumdem sensationes. Species interni tenuis, non pendent à specie expressa sensuum exterorum in conseruando, pendent tamen in producendo.

**XLII.** Anima rationalis est actus substantialis informans, spiritualis incorruptibilis, indivisibilis, per nullam potentiam ex materia educibiliis, subiectum eius in formationis seu materia in qua est corporis naturale organicum humanum, cœla vero efficientis solus Deus, habet anima rationalis sibi superadditam tres potentias spirituales, intellectum scilicet voluntatem & potentiam Locomotivam. Intellectus voluntate præstantior, obiecti terminati loco habet ens latissime sumptum, sub quo comprehensio duntur entia immaterialia spiritualia, &c mortui autem, ens sensibile. Effectus potentiae intellectus est verbum mentis, quod est qualitas quædam spiritualis ab intellectu possibili expressa, ab eoque in conseruari dependens, per quam res intellecta tanquam viuam imaginem actualiter representatur: per illud à Deo creatum & intellectui vnitum anima nihil intelliget.

**XLIII.** Intellectus Agens idem re cum intellectu Possibili ratione tantum diuersus, non est cognoscitus vel intellectus, sed tantum productius specierum intelligibilium, ad quas phantasia solus determinatim non autem effectuè concurrit. Earum folium rerum dantur species intelligibiles propriæ, quarum dantur sensibiles propriæ, quæ omnes directè solum singulare & materiale representant, non autem vniuersale vel spirituale, imo nec substantiæ materiales. Intellectus Possibilis non operatur in hac vita sine conuersione ad phantasmatâ, etiam cum rem secundo intelligit & illius species intelligibilem iam habet, potestq; simul plura vt plura cognoscere.

**XLIV.** Voluntas potentia spiritualis & incorruptibilis ab intellectu realiter distincta, tendit bonum tam materiale quam immateriale, mouet membra corporis imperio despoticō, imaginationē autem & appetitum politico, ad actum illius efficacem, necessariò cognitione intellectuā, indicatiā pmodum principij applicantis bonitatem finis prærequiritur. Libertas ipsius in actu primo consistit in ipsa essentia voluntatis, potentis, positis omnibus ad agendum requisitis operari vel non operari, in actu vero secundo, in ipsa voluntate liberè terminata ad actum. Libertas actioni libertè non additiva modum, sed tantum denominationem extrinsecam.



## POSITIONES PERIPATETICÆ.

**XLV.** Status separatus Animæ rationali, ut & Coniunctus naturalis est. In statu separationis substantia mutatur, perdendo & acquirendo aliquid substantiale. Habet ad sui reunionem cum materia nec appetitum naturalem nec elatum, conseruat scilicet species intelligibiles, ita tamen ut & nouas à Deo infusas accipiat, item potentias spirituales & habitus in ijs subiectos. Anima separata ut in statu separationis intelligat, necessario se reflecit supra duas species.

## M E T A P H Y S I C A.

**XLVI.** Metaphysica scientia universalis & sapientia propriæ dicta, pro obiecto radicali substantia abstractam, pro Principali Deum pro Totali ens ut ens à materiali tam intelligibili quam sensibili, allegnat. Entia per accidentis negationes & priuationes non nisi per accidentis & secundario à Metaphysico considerantur

**XLVII.** Ens Nominaliter sumptum in esse essentiae reali & formalis constituitur per seipsum non per coniunctionem essentiae cum existentia actuali vel possibili. Essentiae rerum habent ab aeterno extra Deum esse formale & obiectuum distinctum ab entitate Dei, essentialiter tamen participatum, non quidem in genere causæ Efficientis, sed Exemplaris, à Deo ut intellectuali & cognoscente. Existencia seu Ens ut Participium, est actualitas naturæ per quam aliquid actu in rebus constituitur, sive est actualitas essentiae extra suas causas. prior definitio omni existenti, posterior soli creato conuenit. Existentiam Dei narratione quidem, ab eius Essentia, creatam autem, non quidem realiter sed ratione solum ratiocina distinguiimus.

**XLIX.** Substantia ultimum naturæ complementum, est entitas quædam non omnino strictè realiter, sed modaliter tantum à natura distincta, licet non adeo inexplicabiles eriam forent negationes Scoticæ. In compositis pure materialibus videtur unica tamen esse substantia & non composita ex dualibus partialibus, quarum una materiam altera formam termininet. In homine est una simplex substantia, utrumque extremonrum subiectu afficiens. Deus facere potest, ut Secratis substantia terminet naturam v. g. Platonis.

**X L I X** Principium Individuationis desumitur à formâ non autem materiali : per rationem individualem, quæ non est quid distinctum à naturâ realiter sed tantum formaliter & ratione ratiocinata (quod idem de gradibus Metaphysicis intellige) natura specifica eiusdem speciei individuis immersa, distinctionem accipit tam in effendo quam operando. Omnia videntur multiplicabilia secundum numerum, (solo Deo excepto) maximè propter materiam, quæ subire potest principium individuationis extrinsecum & quasi obiectuum.

**L.** Proprietates Entis præcipue sunt Vnum Bonum Verum, Vnum constitut formaliter in negatione unica, si secundum se, in duplo si in ordine ad alia consideretur, habet se ista negatio per modum priuationis non autem omnimodæ negationis. Verum nihil supra ens addit, nisi relationem conformatam ad intellectum se representantem, sicut bonum ad appetitum se appetentem maximè diuinum, unum quo Vno Bono vero, Philosophiam. Vnam Bonam & Veram concludimus, & finimus.

*Ad maiorem DEI Deiparaque gloriam.*

---

Has peripateticas positiones ; ex Universa Philosophia collectas, Expote Fidei, & bonis moribus nsonas, luce, arque discussione publicâ dignas censeo.

LEO MENZELIVS S. Theolog. D. Profess. & nunc Decanus &c.

*Positiones istae peripatetica typus digna sunt.*

*Ira censeo*

NICOLAVS WYSING Soc: Iesv Philosophia Professor Ordinarius nunc Decanus.

